

XX. Sed quid de nuper factis Nobilibus sentiendum? aequè nobiles sunt, licet illorum dignitas non ita conspicua, uti eorum qui ex antiquo generis splendore gaudent, si tamen hi virtutem quoque factis exprimunt suis.

XXI. Quid cum hi ocio marcescant vel vitiis indulgeant? tum certè, qui propriam virtute nobilitatem meruerunt, talibus longè preferendi.

XXII. Et novos subindè creari expedit Reip. quòd nobilium ordo ob fortunam bellicam, cui in primis addictus esse debet, præ cæteris mortalitatis maximè obnoxius est casibus, vel etiam in luxu & fastu nobiles familia suffocantur.

XXIII. Hinc novae stirpes nobilitatis privilegiis à summa potestate insigniendae haud secus ac in hortis cultioribus in arborum senescentium locum juniores substituuntur.

XXIV. Hinc manet distinctio nobilium in natos & factos, ubi illi à parentibus nobilitatem acceperunt: hi verò ab ipsa summa potestate creantur nobiles.

XXV. Est & alia Nobilitatis species temporaria dicta, ad haeredes non transiens, qualis fuit olim Patriciorum, qui honorarij Consules dicti: Hodie Comitum Palatinorum, Equitum auratorum.

XXVI. Gradus Nobilitatis propriè sic dicti, quia civile est institutum, sunt diversi. Sic apud Romanos alij majorum, alij minorum erant gentium. Hodie alij Duces, Comites, Barones, alij Nobiles speciatim sic dicti.

XXVII. Gradus Nobilium in genere ita dictorum hi sunt, Primus Theologis, ob objecti, circa quod versantur, rerum videlicet divinarum præstantiam, debetur locus.

XXVIII. His succedunt prudentes, tum qui in legibus ferendis, tum qui in consiliis dandis, tum qui in judiciis de negotiis propositis ferendis sunt occupati: quorum priores Reip. magis sunt necessarij propter res, quas tractant Reip. magis necessarias.

Nobilium] generatim sic dictorum gradus, primus debetur Theologis. Secundus prudentibus.

B

XXIX,